DEO OPT. MAX. VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ, ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA AGITANDA IN PUBLICIS MEDICORUM SCHOLIS CELEBERRIMÆ ACADEMIÆ CADOMENSIS, AD CATHEDRÆ VACANTIS DISPUTATIONEM.

An certum graviditatis indicium ex urinâ? 41.

UBI primùm animalia vitalibus auris fruuntur, ad interitum celeri & constanti gradu feruntur. Vita consistit in blando & æquabili fermentationis massæ sanguineæ motu; ubi eadem fermentatio perversè & præter naturæ leges peragitur, vel nimiùm languescit, vel æquò velocior fit; aut omnino sistitur, tum morbus, & tandem mors ingruit. Hujus tyrannidi quælibet viventia ita subjacent, ut mirum videri possit omnia jamdudum ad nihilum non recidisse: sed sapientis naturæ providentiâ quælibet animantia, saltem perfecta, mas & femina diversis partibus instruuntur, quarum structurâ diversâ, figurâ, ac virtute speciei propagationi prospexit, & sic perennitatem generi denegatam, speciei quodammodo tribuit. Nullum est sanè ipso homine lascivius & salacius animal: ille quolibet anni tempore, & quâvis horâ amplexus venereos peroptat; cætera verò statis tantùm temporibus veneri indulgent. Generationis opus tot undique difficultatibus circumseptum est, ut, de ea quid statuendum, vix dici possit. Alii alia commenti sunt. Qui generationem ex utriusque parentis semine permixto fieri autumant, non leviter hallucinantur; neque faciliùs & expeditiùs hujus sententiæ patroni difficultatum quarumdam nodos solvunt, quàm qui ovorum doctrinam amplectuntur. Omnia ex ovo oriri opinamur, vivipara æquè ac ovipara. Natura simplex, constans, & sui ubique similis, uno & eodem modo, eoque simplici, quoad fieri potest, semper agit. Testes muliebres conflantur vesicularum humore quodam plenarum congerie, qui communi membranâ obvolvuntur. Has tamen vesiculas cum multis hydatidas, aut aliud quidpiam in his partibus præter naturam genitum, ne dixeris: illæ sunt præstantissimum naturæ opus, & in ipsis testibus constanter reperiuntur. Quanquam testes feminarum inutiles à quibusdam habiti fuerunt, eorum tamen necessitas ex earum castratione abundè patet; exsectis his partibus non minùs steriles evadunt, quàm mares exsectis testibus. Iisdem usibus inserviunt in viviparis ac in oviparis. Ejusmodi ova à mulieribus edita, passim fidem faciunt literarum monumenta; sic Hippocrates testatur se vidisse germen excussum, quod erat membranâ inclusum, ut si quis ovo crudo externam testam undique auferat; sic in Germania quædam mulier peperit ova numerosa, quæ racemi speciem præ se ferebant.

HOMINEM generari in utero materno extra omnem dubitationis aleam ponimus. Si quando in tubâ, aut abdominis cavitate, quod admodum insolens, ibique tanquam in alieno solo per aliquot menses fœtus hospitetur, illud omnino à naturæ votis alienum est, & vix unquam contigit sine matris & fœtus extinctione. Hinc, quantum à vero aberrent Paracelsi sectatores facile est colligere, dum eo duce non dubitant asserere, possibilem esse formationem homunculi in vitro ex semine virili, & menstruo sanguine, intra fimum equinum posito. Uterus veluti feracissimus naturæ campus semen virile ejaculatum excipit: hujus pars subtilissima & efficacissima avolat ad ovaria, eaque subit ac pervadit, & ovum unum aut plura, si quæ matura & prævîè disposita fuerint, fœcundat, & lenem excitat fermentationem, per totum corporis producendi vitæ curriculum duraturam; unde fœtus unicus vel pluresenascuntur. At quomodo, quâve arte stupenda partium corporis fabrica fieri possit, determinare hoc opus, hic labor est. Ovum genitali spiritu imprægnatum & fœcundatum è testibus excidit, & excipitur ab extremitatibus tubarum Fallopii iis annexarum, quarum ope ad uterum deducitur. In congressu, spirituum animalium, & sanguinis copiosioris affluxu, oviductus seu tubæ ita disponuntur, ut vasorum deferentium munere levi negotio fungantur. Ovum in utero contentum eumdem blandè demulcet & titillat, ad quem spiritus animales & sanguis uberiùs excurrentes, meatus ejus reserant; hinc rarescit & intumescit, atque illius membranæ succis nutritiis turgidæ quoquoversus magis extenduntur. Fœtus in utero radices spargit, quibus haud absimili modo ac planta per radices suas radicatur, & succum, quo nutritur & augetur, haurit. Fœtum non sanguine materno, sed chylo nutriri, certa probat experientia, quâ compertum est, ejusmodi humorem ex utero post partum effluere. Sectâ prægnante bestiâ, compressione aut avulsione papillarum, in quas inseruntur venarum umbilicalium ramuli, elicitur idem quoque humor. Hinc lacteus ille succus, qui in fœtuum ventriculis continetur, suam ducit originem: sic recens in lucem editi quandoque eumdem vomunt, antequam quidquam extra uterum ore assumpserint.

VERUM quanquam natura opera sua secundùm leges à summo authore suo constitutas ad felicem exitum perducere moliatur, semper tamen voti compos non fit, & quam intendit perfectionem, non assequitur. Illa sæpenumerò à causis, tum internis, tum externis, & subjecto malè disposito præpeditur. Sanguis menstruus, vel suppressus, vel parcè fluens, vel immoderatè profusus falsi conceptûs, aut abortûs causa habetur. Quemadmodum enim fons ejus exundans ovum vitiat, aut elicit utero conclusum; sic vix stillans, aut exhaustus eidem labem ac vitium inurit, vel negato, quo virescit, rore, penitùs extinguit. Sed quamvis irroretur uterus, ut par est, sanguine menstruo, non propterea fœcundus existit, si vitiata sit ejus structura, & à naturali desciverit ordine. Cùm uterus vel præter naturam coarctatur sui contractione & angustiâ conceptum fœtum excludit, vel præter modum relaxatus eumdem ad debitum tempus retinere nequit. Huc pertinent omnes violentæ, tum corporis, tum animi commotiones, & perversa ac vehemens matris imaginatio; imò cùm ipsæ partes in ovo, & earum stamina tenera sint admodùm, non dubitamus quin ab humorum, qui aliàs in earum nutritionem convertuntur, acrimoniâ, vel vehementiori impetu rumpi, aut erodi, indeque in unam massam rudem ac indigestam compingi queant. Ad molæ productionem non maturum modò, sed fœcundatum insuper prærequiritur ovum, ex quo primariâ naturæ intentione fœtus naturalis, seu conceptus legitimus perfici debuit. Hæc naturæ actio, cùm ab aliqua causa pervertitur, molæ generatio fit; tum incautæ mulieres luduntur inani spe, & expectatione prolis. Mola est massa quædam in utero ex conceptu, loco fœtûs ordinarii, genita, & ita malè formata, ut ad nullam certam animalium speciem referri possit. Molæ vulgò dividuntur in vitales & non vitales, sed præposterè. Omnes vitæ cujusdam participes esse, rationi consonum videtur; licet in illis sæpè nullus deprehendatur motus. Molarum quoque differentiæ desumuntur ex earum figura & magnitudine.

FUTURÆ à coitu, aut etiam factæ conceptionis signa hæc vulgò habentur: quòd scilicet uterus præ acriore voluptatis sensu nonnihil exhorruerit; quòd deferbuerit libidinis æstus, & os uteri occlusum sit; quòd menstrua imposterum supprimantur, & paulatim refluo ad mammas sanguine menstruo, ut loquuntur antiquiores Medici, seu potiùs, ut recentioribus placet, chylo in sanguinem menstruum cessuro ad mammas appellente, & ibi in lac converso, mammæ intumescant. Factam quoque conceptionem comitantur cibi fastidia, nauseæ, & vomitus, pica, ventris tormina, alvi fluxus, dentium dolores, vertigines, cæphalalgiæ, animi deliquia, lumborum & coxendicum dolores, hæmorrhagiæ narium, gravitatis sensus circa pecten, abdominis tumor. Hæc quidem symptomata, quibus gravidæ sæpiùs infestantur, non sunt conceptionis certa indicia, ac signa pathognomonica. Hæ enim affectiones multis ex causis in mulieribus minimè gravidis excitari possunt; nec minùs plethoræ, cacochymiæ, obstructionibus, aut fermento exotico, illarum originem tribui posse arbitramur. Non ex lacte in mammillis graviditas inferri potest, quia etiam, testantibus Divino Sene & aliis, utero non gerentes illud habuere; in primis etiam mensibus conceptûs lacte destituuntur; gravitatis sensus circa pecten, & abdominis tumor, non in prægnantibus modò, sed in retentione mensium, molâ, uteri hydrope, inflatione, & vesicæ calculo laborantibus observantur. Neque menstruorum suppressio certum est graviditatis indicium; in virginibus enim, quæ virum non expertæ sunt, sæpiùs supprimuntur menses, & etiam quædam mulieres toto gestationis decursu menses patiuntur. Ephemerides Germanicæ quamdam referunt mulierem hoc solo tempore menstrua pati solitam fuisse. Motus qui in earum abdomine percipiuntur, à flatibus, aut simili causa produci facilè possunt. Quodlibet horumce signorum seorsim sumptum imprægnationem non significat; sed ex eorum congerie aliquid Medicus prudens, & alienis erroribus cautus, hariolari poterit. His tamen ne faciliùs credas.

NEQUE tamen quis putet nos inficiari velle, quasdam mulieres utero gerentes peculiari temperamento donatas, certa quædam habere suæ imprægnationis signa. Nonnullæ enim statim atque conceperunt, horrendis vomitibus infestantur; aliæ quidem libidine pruriunt, sed factâ conceptione ardor videtur extinctus. Panarollus asserit mulierem fuisse, quæ quoties fuit gravida, venam circa genu insigniter tumidam habuit: at hæc signa non sunt quibuslibet communia, sed tantùm istis propria; unde ex his nihil concludi potest, nec colligi, pro aliarum feminarum graviditate cognoscenda. Vetus est opinio unanimi penè Medicorum consensu firmata, urinas esse maximi momenti, tum ad plurium morborum diagnosim, tum ad eorum curationem. Serum enim, quod est proxima urinæ materia, humoribus permixtum, eorum qualitates sibi ascîscit, atque ipsorum excrementa secum foras exportat; sicque quodammodo massæ sanguineæ detegit vitia, ac veluti oculis subjicit; partium, quas attingit, affectiones declarat, puta majorum vasorum, ex quibus in renes depluit, renum, ureterum, & vesicæ, quarum partium sordes, si quæ ipsis inhæreant, extergit, & foras amandat. Medentum quidam ex urinarum inspectione graviditatis indicia elici posse contendunt, si nimirùm albæ, claræ, & in illis atomi ascendentes & descendentes apparuerint. Verùm ex earum consideratione mulierem verè prægnantem esse, certò scire non possumus. Urina sic affecta morbos potiùs evinceret, quàm imprægnationem: illa neque in utero fit, neque in locis utero vicinis; neque per illum commeat. Signa quæ ex urinarum fonte hauriuntur, tum in morbis plerumque, tum in conceptûs cognitione, incerta & infida esse quotidiana probat experientia. Hinc temeritatis & ignorantiæ arguendos esse censemus eos, qui ex earum inspectione morborum felices aut infelices exitus se prædicere, aut imprægnationem certò colligere posse asseverant. Tantum enim abest, ut ex urina Medici industria graviditatem eruere certò possit, ut hoc signo potiùs, necnon omnibus aliis, & Medici, & mulieres in errorem inducantur.

Non ergo certum graviditatis indicium ex urina.

Has Theses proponebat MARINUS LE COINTE, *Cadomæus, Doctor Medicus; die Iovis 14. Aprilis, A. R. S. H. M. DCCI. ab hora prima ad vesperam.*

CADOMI, Apud JOANNEM CAVELIER, Regis & Academiæ Typographum.